

nus gradibus tantum differt ab hominum & brutorum animabus? Et an hæ tantum gradibus, non essentia & natura, inter se differunt? An Spiritus Diuinus ab aliis gradibus tantum differt? Spiritum enim in genere definit auctor, quod sit substantia vniuersi representatiua, speculi instar, siue specularis.

XXIII. Quid porro hoc sibi vult, quod dicat, *quartus representandi modus est intellectus diuini, qui est representatio simultanea & distincta omnium possibilium?* Quid mysterii hic latet, quod priora omnia simplicia hunc mundum diuersis modis representent, speculorum instar: sed intellectus diuinus sit representatio simultanea & distincta omnium possibilium? An in alio plane mundo? nam in hoc mundo ex hypothesi auctoris nulla alia sunt *possibilia* præter ea, quæ fiunt; omnia sunt *necessaria*, connexa, concatenata, ita vt omnia sequentia pendeant a præcedentibus, & a *machina* *zensa* necessario procedant. Quia mundus machina est, omnes euentus in eo certi sunt ... & impossibile est, vt non eueniant. Porro: quod si vel minimus euentus in mundo aliter se haberet, ac se habet, oporteret omnia in mundo aliter fuisse constituta, & posthac omnia aliter euenire, quam nunc euentura sunt. Atque ita oporteret plane aliud esse mundum, quam qui iam est. Concinunt Thesis VI. & VII. illius Respondentis in Academia Regiomontana: *Qui nexum vniuersalem (id est fatalem rerum omnium seriem,) negat, rudem admodum, imo nullum de mundo eiusque auctore habet conceptum.* Et: *Si vel pilus muscæ ex mundo penitus tollatur, mundus non amplius foret idem.* Diuino intellectui tribuit *omnium possibilium representationem.* An vero vna cum iis intelligit omnia, quæ fuere, sunt, & futura sunt, & esse possunt in hoc mundo? Ænigmatica hæc sunt.

XXIV. 4. Ex præcedentibus manifestum esse colligo, (quod ex sequentibus eo abundantius liquebit,) hæc Philosophemata esse plane opposita Philosophiæ *Cartesiane*, ab ea toto cælo differre, & e diametro ei esse contraria. In ea lux & euidencia animaduertitur; heic meræ sunt *tenebræ*. Illa quam optimæ distinguit mentem a corpore, & attributa omnia mentis ab attributis corporis; quæ in his philosophematis pessime confunduntur. Illa quam optime Deum Creatorem ab omnibus creaturis, vt a finitis mentibus, distinguit; sed in his tantum ponitur *graduum* distinctio inter *intellectum diuinum* & *animas hominum & brutorum*, quæ